Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 241
Quelle:
Copyright:



*omnipotentis ſapientia ſumma potenciali et ineffabili ac eterna vnitate* &c. Citatur *Bulla ſacri Conſtantienſis Concilij*, et deplorantur *potentes in hoc regno Bohemie, qui quamuis hanc* (de legitimis Eccleſiae poſſeſſionibus) *voce ſententiam profitentur, factis tamen heu ipſam negant, Tutores et defenſores ſe fidei eccleſie nominant et ſub apparente hac iuſticia diſtrahunt doloſe et ſibi appropriant patrimonium ihesu chriſti* &c. Unde de Scriptionis tempore conjectari poteſt.

IX. *fol.* 53. *Joh. Huſſi* Opuſculum de VI. *Erroribus Cleri*, ipſius cura anno 1413. parietibus Templi *Bethlehemitici Pragae* latine inſcriptum et inſertum edit. *Opp.* 1715. p. 237. f. hic vero ab Eomet bohemice verſum hoc initio: *Znamenaw ſeſt bludow gimiż mnozi mohliby byti zavedeńi* &c. Differt Verſio haec a latino Textu in eo, quod ſingulis VI. *Capitibus* praemittatur fuſior cujusvis Erroris expoſitio, quam Latina ignorant, quae ſtatim ab Erroris impugnatione ordiuntur. Praeterea nobis ad calcem adjacet *Nota*, qua ait *Huſſus* ſe *feria quarta poſt Trinitatis* abſolviſſe Opuſculum, et joculariter addit, Archiepiſcopum et Sacerdotes his compertis tamen non executos fuiſſe Interdictum, quod a Papa contra ipſum procuraſſent, nec a Sacris ceſſaſſe, unde ipſos potius tanquam inobedientiae reos, ſuſpenſos et profanos Sacerdotiis ſuis excidiſſe.

X. *fol.* 73. p. 2. Epiſtola *Joh. Huſs* bohemice ſcripta tempore, quo ob Interdictum *Praga* aberat, qua Suos confirmat, praecipueque iis inculcat, ne quam rem abjurent, excuſatque abſentiam ſuam eo ex capite, quod nolit reditu cauſſam praebere, ut Sacris priventur. Scripta videtur a. 1413. nec extat latine reddita inter ejus *Epiſtolas* hoc tempore ſcriptas edit. *Opp. P.* I. p. 117. Ejus initium: *Bob ſvami pani mili y miſtri proſim vas* &c.

XI. *fol.* 74. p. 2. Alphabetum *Bohemicum*, cujus ſingulis characteribus reſpondet litera prima dictionum infra eos ſcriptarum. En primam lineam:

*a b c ć d d́*
A bude cele celedi dano diedictwie. id eſt:

*Et dabitur tota familiae hereditas.*

Alphabetum excipiunt *Sententiae* complures de Deo, Chriſto, Eccleſia et Peccatis, quarum prima: *Bob geſt dobre nadńiem nemoż byti pomyſlene lepſie.* &c. Iterum *Cod.* alio.

XII. *fol.* 77. Tractatus bohemice ſcriptus de Peccato primum in genere, tum de Peccato mortali et veniali, cujus initium: *Hriech geſt nedo ſtatek ctnoſti. Ctnoſt geſt milovańie redu* &c.